

egressum de loco suo esse Verbi divini e caelis ad terras descensum per temporalem nativitate...

Pl. 79. 2.

ad Titum 2. 11.

Pl. 97. 3.

Dan. 2.

TEXTUS ILLUSTRATIO

De Deipara Maria.

SECTIO LIV.

Illustratur Deipara regnum, principatus, & primatus in omnes creaturas, vel a sua conceptionis instanti.

Amplitudo Mariani imperii.

S. Bernard.

1176 Virginis Matris ea quoque sunt verba: In omni populo, & in omni gente primatum habui...

nofter Barradas Tom. 1. Concorde lib. 6. cap. 4. nofter Spinellus de laud. Beatæ Mariæ cap. 5. nofter Morales in Math. tractat. 9. a Num. 25. Ratilius Episcopus lib. 1. in Canticum Beatæ Mariæ cap. 28. Signatum Salazarius loco memorato de Conceptione, ex Mariæ regno...

1177 Modò pro præfixi argumenti elucidatione, iterum rationis trutinæ mandanda illa Regii Cantoris verba Psalm. 44. 10. Assit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Effeci à num. 684. verbum assit hanc imbitam præ se ferre significationem. Assit constanti firmitudine à prima creatione. Pro Regina verò est Hebraice segal; quam vocem Vulgatus Dan. 5. 2. & S. Hieronymus hic interpretatur uxor, conjux, seu sponsa. Imò & Genitrix, si totam velimus segal exprimere virtutem; nam conjux præ se fert analogiam ad prolem. Atque ita viri docti censuere. Rectè itaque LXX. Interpretes pro segal vocula, Reginam susceperunt, utpote Regis in hoc Psalmo descripti conjugem, Genitricemque. Quæ quidem appellatio, & totius Psalmi contextus universale Deiparæ imperium aperit suadet. Nam v. 13. opulentissimas totius orbis Nationes honestissimam legationem instituturas atque cælesti Reginæ dedicationem facturas David vaticinatur. Et filie Tyri in muneribus cultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Ubi Græci Codices correctiores, nec non & Æthiopicum Psalterium, & Isidorus lib. 1. Sentent. cap. 19. generalius legunt: Omnes divites terræ. Arabicum: divites universæ terræ. Nimirum totas orbis provincias, eunctas mundi regiones ditissimas, atque opulentissimas certatim confluras prædicat, communem ut Reginam Deiparam supplices venerentur. Versus item ultimus: Propterea populi confitebuntur tibi, eosdem indicat latissimos Mariani imperii fines. Nam Chaldaeus legit: Populi peregrini laudabunt te. Quod ad remotissimas etiam gentes sub Virginei imperii ditionem ituras referendum est. Absolutum certè Regina nomen, nullo præscripto singulari regno, quemadmodum & Regis absoluta appellatio vers. 1. præfixa, utrumque tam Regis, quam Reginæ amplissimum imperium per universas cæli terræque regiones, populos, & gentes protentum, ac propagatum significat.

1178 Sed componentes inter se illas translationes, Assit Regina, Conjux, Genitrix à dextris tuis, probemus selectioribus sanctorum Patrum sententiis, totius orbis regnum Mariæ adjudicatum, tum Matris, tum sponsæ titulo. Ex Materno titulo Marianum regnum sic explicat S. Augustinus Serm. 35. de Sanctis: Sufficere debet notitiæ humana, hanc verè fateri Reginam calorum, pro eo quòd Regem peperit Angelorum. Sanctus Damascenus lib. 2. de Fide cap. 15. Verè rerum omnium conditarum Domina effecta est, cum Creatoris Mater exiit. Et Oratione 2. de Assumptione: Oportebat Dei Matrem ea, que Filii erant, possidere. Sanctus Fulbertus in Oratione de Beata Virgine: Maria maternâ dignitate facta est Regina, & erga superos, & erga inferos imperiosa: ubique prima, ubique magnifica, cui certè proprium est & SS.

Pl. 44. 10.

Psalmus David celebrat universale Deiparæ suæ imperium.

S. Bernard.

A puncto sua conceptionis Maria titulo Regina & honore potita est, quia & Matris Dei gloria.

Fulber.

S. Chrylo.

& SS. Angelos in ministerium mittere. Sanctus Bernardus Tom. 1. Serm. 61. artic. 3. cap. 6. Tot creaturae servant Beate Virgini, quot servium Trinitati. Aditque rationem: Ille enim, qui Filius Dei est, & Virginis benedicta, volens, ut sic dicam, Paterno principatu quodammodo principatum æquiparare Maternum, ipse, qui Deus erat, Matri famulabatur in terra; & erat subditus illis. Et sanctus Bernardus Serm. in Apocalyp. 12. Maria eò quòd Mater Dei est, Regina calorum & Domina mundi jure esse probatur. Vides Matris titulo Deiparam totius orbis Reginam appellari?

1179 Certè à puncto suæ Conceptionis, Reginæ titulo & honore potita est: si enim Regina est, qua Dei Mater est, nec dubium, quin Matris gloriâ ab ipso suæ Conceptionis exordio gaudeat, ab eo etiam instanti, Reginæ appellatione gaudebit similiter. Etenim non solum post conceptam, editamque suam ac divinam prolem, Matrem Dei censendam, & pronuntiandam, sed quia illam concepturam, atque edituram erat, tantam futuræ Dei Matris rationem fuisse habitam, ut maternæ hujus dignitatis & gloriosum titulum, & honorem iustum à prima sua creatione ipsa præ se tulerit, cum Sanctis Patribus existimamus. Jam inde ipsam Matrem Dei cælum cognovit, jam terra suspexit, jam Tartarus exhorruit. Atque in hoc sensu ait Psaltes: Assit segal, conjux, Genitrix; à prima creatione firmissimè, & constantissimè. Quod etiam summi Doctores contestantur. Nonnullos audi. Fulbertum in primis Carnotensem in salutatione Beatæ Mariæ: Ave Maria electa, & insignis inter filias, que immaculata semper stetit ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras Creatorem totius sanctitatis. Videtur alludere ad illa Davidis verba, dum à primo Conceptionis exordio semper illam immaculatam stetit docet, quia paritura erat creatorem: & ab eo tempore maternæ dignitatis rationem fuisse habitam, ut quæ jam inde Mater agnoscebatur, jam inde immaculata semper stetit. Accinit Ecclesia tota Æthiopica in antiquissima Liturgia, ubi B. Mariam semper Matrem ante vetustissimam hominum memoriam his verbis salutabat: Letare Domina, quia salutem sanctam deprecamur. O virgo in omni tempore Mater Dei, & Christi! esfer sursum & in altum orationem nostram. Sic dispungunt Canonem hunc correctiores Codices. Mitto Augustinum lib. 2. de peccat. meritis & remissione c. 24. S. Petrum Damiani Serm. 3. de Assumptione, S. Bernardum in Hom. 2. super Missus est: S. Bernardus Senen. Tom. 2. Serm. 51. a. 1. cap. 1. Premo adhuc S. Chrylogi verba Serm. 146. Quomodo non ante conceptum Mater, que post partum Virgo Mater? Aut Genitrix quando non, que sæculorum generavit Auctorem? Quasi dicat: Cum Virginis honorem, etiam post partum, tanta Mater secum perduxerit, cur etiam ante partum Matris gloriam tanta non prætulit Virgo? Neque enim minus decebat Deiparam, ut virginitas futuram Maternitatem etiam ante partum præferret, quam ut Maternitas Virginitatem etiam post partum proferret: maxime cum ejus Filius sæculorum Auctor existat, ac proinde, sicut virginitatis decus, ita etiam Maternitatis honorem perpetuum possit Matri Virgini coaptare. Et paulò post: P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Maria Mater vocatur, & quando non Maria Mater? Igitur si semper Mater, Genitrix nunquam non, profecto in prima etiam creatione, in purissima etiam Conceptione Deiparam se præstitit; Dei Genitricem sese exhibuit: ab illo temporis articulo pro Matre habita, Materno honore excepta, anticipatæ gratiæ privilegii præculta est, & præhonestata. Kurfus, si idè totius orbis, Angelorum, & hominum Regina, quia Dei Mater; cum semper Dei Mater extiterit, & Materno honore potita, Reginam etiam semper existitisse, & à primo Conceptionis articulo cælesti imperium iniitit, ab ignobili peccati servitute profus immunem, consequens est.

1180 Nec Matris tantum nomine, sed Sponsæ etiam titulo Reginam orbis Deiparam, sancti Patres intellexerunt. Unus instar omnium sit S. Epiphanius in Ser. de laud. Deiparæ, ubi dotis nomine cælesti huic sponsæ cælos, terraque assignatas scribit. Quomodo Virgo invenitur esse cælestis sponsa & Mater? Quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit, dotis verò gratiâ cælum, & paradysum. Nec de nihilo est, quod Epiphanius post cælum, terræ loco paradysum summæ Reginæ dotis titulo additum docuit; neque enim cum Adamo paradysi illa dominium amisit. Vide S. Bonavent. in Speculo c. 6.

1181 Certè, sponsalium hunc titulum eximiumque honorem, jam inde à prima Virginis conceptione eidem divinæ sponsæ datum, multi statuunt Ecclesiæ Patres. S. Augustinus Serm. 18. de Nativ. Christi Domini, ubi Mariam sponsæ titulo nunquam caruisse, imò æternam cælestis sponsæ sponsam semper extitisse disertè pronuntiat. Semper Virgo est, que semper sponsa est, & que vocabulo sponsæ non caruit, in æternum Virgo permansit. Et que sponsa æterna dicitur, æterna Virgo probatur. Si verò semper sponsa fuit, ergo in ipsa etiam Conceptione. S. Joannes Damasc. in Orat. 1. de Nativ. B. Mariæ, breviter ac delucidè: Nunc Virgo primigena fornicationis adversaria procreatur, ac Deo despondetur. simul & creatam, & desponsam pronuntiat. Et paulò post: Immaculata (Græcè ἀμωμος, id est, sine momo, sine calumnia, sine culpa, sine reprehensione) conservata in Dei sponsam. Nihil pressius, nihil signatius. Gerson. in Tractatu 4. super Magnificat sic loquitur de Mariæ matrimonio: Ab instanti creationis spiritus sui (Mariæ nempe) initiatum est matrimonium cum æterno sponso Dei per arham fidei, spei, charitatis, & ceterarum virtutum. Constat ex his patris Theologorum testimoniis, Mariam ab ipsamet creatione sponsam fuisse cælesti sponso destinatam; ac proinde, quod ad honorem atinet, à suo sponso, si fas est dicere, zelotypo amore jam inde custoditam, quam dextro lateri perpetuò sibi sociavit. Si ergo sponsæ titulo Regina est, sponsæque honore ab ipso cœptionis articulo profuitur, ab eo etiam tempore Reginæ nomine & gloriâ potita erit. Reginæ, inquam, cui immunitas ab omni profus labe debita sit. Verè Regius Psaltes in Regem & Reginam, in Matrem & Filium, in sponsum & sponsam intentus cenit: Assit Regina, Genitrix, Conjux à dextris tuis: firma, constans, nunquam loco dimota à prima ipsa vite usura. Hanc enim vim esse verbi assit non semel observavimus. Huc revoca dicta superius à num. 677.

Sponsa eius titulus & honore gaudet, à sua conceptione. S. Epiph.

S. August.

S. Damasc.

Gerson.

SECTIO LV.

Eximia Heroïna Virgo Maria Demonas, eorumque affectas Antimarianos deculcavit, contrivit vel à sua Conceptionis exordio.

1182 Hoc ipsa disertè pronunciat, dum ait: Omnium excellentium, & humilium corda virtute calcavi. cum intuitu planè ad celebre illud Genes. 3. 15. vaticinium de victrice Deipara: Ipsa conteret caput tuum, &c. Audi Vincentium Ferrerium virum Apostolicum in Ser. de concept. Virginis Mariae. Dixit Deus ad serpentem, aternus ad veterem: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum. Si queratur, quam Mulier operata est huiusmodi victoriam? Que nimirum illud antiqui serpentis caput venenatum virtutis pede contrivit? De ista Conceptione dicit Scriptura in persona Virginis, Ecclesiastici 24. 7. Ego in altissimis habitavi: & omnium excellentium, & humilium colla virtute calcavi. Itaque Siracidis verba, & illa Geneleos, ad quæ fit allusio, in conceptione Virginis impleta testatur Vincentius. Ab eo enim tempore nostra hæc invicta Virago suos & Ecclesiæ hostes validissimè profligavit, calcato, contritque uno Archidæmone Lucifero, qui se larvâ serpentis obtexerat. Quò revoces dicta superius ad hæc Genesis verba à n. 133. Imò putaverim, hunc de Tartareo Dracone, ejusque affectis triumphum à Deipara reportatum vel ab initio conditionis Angelicæ; tunc enim ab Angelis Virgo Mater præcognita, atque illis colenda & adoranda proposita. Boni Angeli debitum cultum Matri Filioque exhibentes, Beatitudine donati sunt; Lucifer, & ejus sectarii Christum Deiparamque colere & adorare renuentes, in tartarum præcipientes dati, ad Jesu & Mariæ pedes provoluti & conculcati. De quo plura dedimus à n. 216. & 227.

1183. Sed est hic quod observem nostro peropportuno insituito in illis verbis, Ipsa conteret caput tuum. Nempe caput Hebraicè esse ros: quod Tertullianus lib. adversus Heremogenem cap. 19. tractans versum 1. Gen. 1. In principio creavit Deus, vertit principatum, Procopius, Regiam potestatem. Juvantque LXX. reddentes in apkn quod non solum principium, sed etiam principatum significat. Unde in nostro vaticinio, Ipsa conteret caput tuum, perinde est, atque, ipsa conteret principatum, Regium potestatem tuam. Quam interpretationem ipsummet superbi Draconis caput promovere potest, quod cristatum, & quasi diademate insignitum nonnulli describunt. Philostratus lib. 8. de vita Apollonii Indicos refert Dracones cristatos: in paradisi Dracone ignitas cristas canit Prudentius in Peristephano in Hymno de S. Agnete; cristas cerebri deprimit ignei. Olaus Upsalensis lib. 21. de Gentibus septentrionalibus cap. 29. serpentem ducem commemorat, cui cristata, ut corona, eminet. Hinc de mystico Dracone Lucifero, post accuratam ejus descriptionem Capitibus 40. & 41. agebat S. Job v. 12. Ipe est Rex super omnes filios superbia.

1184 Accedunt eruditorum virorum observationes de Dracone à variis gentibus pro

Gen. 3. 15. S. Vincent. Ferrar.

A puncto sue conceptionis Virgo Demones conculcavit, imò & ab initio conditionis Angelicæ.

Imperium Demonis profligavit Deipara.

Caput pro principatu.

Draconis caput coronatum. Prudent. Olaus.

Job 40. & 41.

Numine exculto Aegyptii interpopulosissimam Deorum turbam, Draconem etiam retulerunt, ut canit Juvenalis satyr. 6.

Et movisse caput visa est argentea serpens. Illius lacrymis, meditataque murmura præstant.

Ut veniam culpa non abnuat. Et Prudentius in Hymmo ad Incensum Cerei Paschalis de Pharaone, & ejus copiis.

Signaque bellica Prudent.

Præstant tumidis clara Draconibus. Eundem Aegyptiorum Deum Draconem produnt S. Athanasius in Orat. contra Gentes, & S. Anastasius lib. 1. Hexaameron. Sed à Romanis etiam cultum refert S. Prosper p. 2. de Prædictione. promissione 38. De alius Gentibus idem testantur S. Epiph. in fine operis contra Hæreses in Compendio, Clemens Alex. l. 3. Pædag. c. 2. Strabo lib. 4. Geographicorum, ubi de templis Draconis, & Alexander Neapolitanus lib. 1. Genialium c. 29. Vide Nicolaum nostrum Causinum ad Hori Hieroglyphica lib. 1. & P. Cornelium Dan. 14. 22.

1185 Ad Draconis item fastum Regium pertinet, quòd pro certo imperii omine, ac signo apud plerisque nationes haberi voluerit; apud Aegyptios, testibus Diodoro lib. 2. Bibliothecæ c. 2. & Prudentio supra citato. Plura leges apud Artemidorum lib. 2. cap. 13. Valerianum lib. 15. Hierogly. in serpente, Turnebum lib. 13. Adversariorum c. 12. & lib. 14. c. 4. Cerdam, & Pontanum ad Æneidem 5. versu 85. Huc voco Plutarchum in Ægide, & Cleomene extremo, ubi scribit Draconem olim non nisi Heroibus fuisse dicatum. Inde Juno Regina serpentis caput dextrâ, sinistra verò sceptrum præferens, quondam depicta ad imperii symbolum auctore Valeriano citato; nimirum superbissimum caput jam olim in Paradiso damnatum, nunquam destitit & Regum coronis sese addere, & imperii signis sese immiscere, & Deorum cultui, tanquam divini principatus emblema sese obtrudere suspiciendum, & venerandum, apud omnes ferè Gentes, Babylonios, Aegyptios, Græcos, Romanos. Satis igitur ex his constare arbitror, immanem serpenti capitis regiam superbiam, Luciferi regium fastum experimentem. Hunc Dominus à Deipara totius orbis Regina deiiciendum eo promisit vaticinio: Ipsa conteret caput tuum, seu principatum, vel Regiam potestatem tuam, qua divinam superbissimum æmulari prægestis. Propterea Virgo ipsa cum præmississet; In omni populo & in omni Gente suum primatum, seu principatum habere, subtexit: Et omnium excellentium virtute corda aut colla calcavi.

1186 Sed premere lubet vocem illam, virtute. Qua, quæso, virtute superbum Stygii Draconis caput per Deiparam contractum, & contritum? Certè Christi virtute, quæ specialiter est humilitas ipsa: ut loquitur Paulus 2. Corint. 12. 9. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Interprete Bernardo in Tract. de gradibus humilitatis, sine. Nondum forsitan intelligis de qua specialiter dixerit, ut inhabitet in me virtus Christi; quia Christus omnes virtutes habuit, sed cum omnes habuerit, præ nobis commendavit, cum ait: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Hac Christi virtute, id est, humilitate maxima, qua excelluit

Draco à variis Gentibus pro Numine cultus, Juvenal.

Draco pro imperii omine habitus.

Qua virtute caput Draconis coronatum Maria contrivit? 2. Corint. 12. 9.

Virtus Christi antonomastice humilitas. S. Bernar.

Humilitate sua caput serpentis Virgo contrivit. S. Bonav.

Cantij. 7. 1.

וְיָבִישׁ וְיָבִישׁ

Pellis taxæ adversus fascinationem.

Ruper.

1. Reg. 5. 4. Triumphus ex Dagono reportatus coram Arca Dei, ad Mariam referunt de rumpentem originale peccatum.

Mal. 46. 1.

Hugo.

nimiopere Virgo Mater, oppressit ipsa superbissimum stygii Draconis caput in tot divinum capita. Primum enim Adami peccatum ab orco pro serpentis faucibus exhalatum, superbiam fuisse ex Scriptura constat, Ecclesiast. 10. 14. Tobie 4. 14. Quod versat latè Cardinalis noster Bellarminus to. 3. lib. 3. de Amiffione gratiæ cap. 4. Subinde S. Bonavent. in speculo B. Virg. cap. 9. Tu bellatrix egregia primò eum, qui primus Evam supplantavit, expugnate viriliter aggressa es. Tu & spiritum elationis Evæ, vertice humilitatis complofsti. Lege Bernardum in deprecatione ad Virginem, Hom. 2. super Missus est, & Idioram cap. 6. contemplationum.

1187 Huc spectant illa Canticorum verba, cap. 7. 1. Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia Principis! Pro gressus, Chaldaus vertit pedes tui; alii, planta tua: nimirum calcantes, & conterentes; nam Hebræum pebbamim, à verbo pabham est, quod conterere, seu contundere significat. In calcamentis, pulchros Deiparæ pedes, calcantes & conterentes plantas commendat. Chaldaus legit; cum calcamentis taxeis. Hispanè calzardo de teson, ex taxeis pellibus adversus fascinationem: ne scilicet stygii serpens suo valeret venenoso aspectu Deiparam puellam fascinare, sed ipsa potius pedibus, plantisque suis illum deculcaret. Etenim, cum appositissimum humilitatis emblema pedes sint, & calcamenta, quòd semper infimum occupent locum, id planè Salomon ostendit unum, quòd suâ eximia humilitatis virtute Virgo Mater superbissimum Draconis caput calcaverit, & contriverit. Unde illud Ruperti ad ea verba, Idcirco ancilla (nempe Evæ) calcaneum à serpente adorsum, quia discalciata erat (humilitatis virtute) tu verò, ò filia Principis probe calcata caput serpentis contrivisti.

1188 Nota est, & mysteris plena Historia 1. Reg. 5. de fœderis arca à Philistæis capta, & Dagonis fano collocata quasi victoriarum auctori solenni trophæo. Sed ecce altera die surgentes invenerunt Dagon jacentem super faciem suam coram arca Domini: caput autem Dagon, & due palma manuum ejus absissa erant super limen. Multi apud nostrum Mendoza ibi existimant, non solum semel, & iterum Dagon corruisse coram arca Domini, sed septennero id contigisse, ut adorationis speciem præferens, victum se fateatur, ait Theodoretus Orat. 1. in Daniele. Putant etiam non pauci ibidem, Dagonem non tantum capite, & manibus, sed pluribus etiam partibus fuisse laceratum, comminatumque: ut Isaias innuit cap. 46. 1. Compactus est Bel, contritus est Nabo. LXX. contritus est Dagon. Certè in majorem Arcae gloriæ, & Dagonis ignominiam. Notissimus Diaboli, & affectarum ejus typus Dagon; notissima quoque Deiparæ Virginis figura Arca. Significatum igitur est, deculcandas, comminandasque aëreas potestates, idololatrias, & Hæreses per Mariam, ejusque humilitatem. Unde Hugo Victor lib. 5. Allegoriarum cap. 8. Caput Dagon significat superbiam Diaboli: due palma operationem idololatriæ. Ut verò hæc referantur ad partos Deiparæ triumphos à suâ Conceptionis momento, in limine obicitur caput Dagonis, ut à Virgine in primo sui ad vitam ingressu conculcetur; juxta illud: Ipsa conteret caput tuum.

P. Ildeph. de Flores in Eccles.

1189 Numer. 24. 17. sic Balaamus prævaricinatatur: Orietur stella ex Jacob, & confurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, &c. Ad quæ verba S. Bernardus Hom. 2. super Missus est, Mariæ nomen commendans: Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Jacob orta, S. Bernard. cuius radius universam orbem illuminat, cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat. Sed illud hic unum observandum, pro oriatur, Hebraicè esse darach, quod significat, calcare, conculcare, & extendere arcum: unde efferas: Calcabit, conculcabit, extendet arcum suum stella ex Jacob. Atqui nobilissimus Deiparæ triumphus prædicitur, quæ virtute suâ excellentium, id est, Daemonum, humilium, id est, hominum superbientium deculcavit, & contrivit colla & corda; quasi intento arcu & sagittis inferos penetrans. Eapropter subtexit: & percutiet duces Moab, id est, Demones, qui sunt duces & Partes Moabitarum, impiorum, & idololatrarum. Vastabitque omnes filios Seth, id est, omnes improbos ex Seth post diluvium prognatos. Hebraicè, in-carcerabit, impietatem, & impios. Quid hoc Virginis triumpho illustrius?

1190 Pf. 59. 10. præcinebat Mariæ atavus: Moab olla spei meæ: in Idumæam extendam calcamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt. Alii codices & ex illis Ambrosius de Institut. Virg. c. 12. legunt: Moab aula spei meæ. Ubi tantus Doctor observat, Deiparam Mariam à Palmographo & aulam, & ollam spei nominari. Aula regalis est Virgo, quæ non est viro subdita, sed Deo soli. Est & olla uteris Mariæ, quæ spiritu ferventi, qui supervenit in eam, replevit orbem terrarum, cum peperit salvatorem. Et c. 13. similiter, addens Moab appellari, quia Moabites; & ollam cælestis gratiæ plenam, quia divinæ gratiæ spiramenta redolebat: ollam spei, quia Christianorum spes. Cum verò olim odoramenta spargerentur in triumphis, ut Appianus in Lybico testatur; dum B. Virgo usquequaque unguento diffuens odoratissimo describitur, parti de hostibus triumpho commendantur. Hoc enim illud est, quod subditur: in Idumæam extendam calcamentum meum, Hebraicè, proiciam: nempe ut sit conculcatio pedum meorum, quomodo Genebrardus exponit. Idumæam ita subiectam habeo (interpretatur Agellius) ut illam omnibus viribus conculcem, & protegam, tanquam sub calcibus habeam. Chaldaus vertit: Super collum occipitii proceres Chaldaeorum conculcabunt calcei mei. Hieronymus: Super Idumæam incedam calcamento meo. Eò perducam imperium, ut pedibus conculcare liceat. Proverbialis figura, quæ significatur, subiciendas Deiparæ Mariæ nationes universas; & Demonas omnes, eorumque affectas ab ea deculcandas, & conterendos. Observat Agellius, voci nagal, id est, calcamentum, affinem esse vocem nagul parum deflexam, quæ seram significat, qua portæ clauduntur. Unde extulerim; seram in Idumæam extendam: urbes Idumæorum munitas, tamquam vestibus, & seris impositis claudam, præsidii nimirum ac stationibus coercendo, ne deficerent, ac rebellare audeant concludam, incarcerationo hostes universos, & rebelles omnes. Subinde: mihi alienigenæ subditi sunt. Psalmo 107. 10. amici facti sunt. Ex Hebræo vertit Genebrardus: super me clange, buccinato.

1191 Quasi